

quasi sanguine, ut idem sanguis Dei et hominis diceretur, sicuti idem Christus Deus et homo erat. Jam si hodie Deus et homo tam sancto fœdere sibi mutuo dexteras junxere, quæso te, annon decet ut et nos mutuo omnes confœderemur et alter alteri dexteras jungamus. Hæc enim est illa pax orbi denuntiata et a Christo donata, quam nisi habuerimus, felicem annum non sortiemur. Igitur si faustum habere annum volumus, hoc ipso die faustum proximis nostris, etiam inimicis optemus. Condemnabit nos Augustus Cæsar ethnicus imp. (quo regnante Christus natus et circumcisus est) qui velut sentiens tempus sanctæ pacis per Christum mundo illatum. Cinnam nobilem adolescentem vitæ suæ insidiari audiens, ad se vocavit acceptumque perhumaniter sic affatus est: *Vitam tibi, Cinna, iterum do, prius hosti, nunc insidiatori ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos incipiat amicitia. Contendamus utrum ego meliori fide vitam tibi dederim, an tu mihi debeas*, simulque consulatum ei obtulit, atque exinde Cinnam semper amicissimum habuit. O vocem christiano homine dignam! Vocemus ergo vel adeamus et nos inimicos nostros, et simili modo alloquamur: Ex hodierno die incipiat inter nos amicitia. Video sane, quam hoc difficulter persuadeam; sed si propter verbum hoc non facitis, amore Jesu Christi facite, qui idcirco hodie sanguinem fudit, ut sanguine illo suo nos conglutinaret et in unum corpus redigeret.

IV. Munera sibi invicem mittebant boni omnis causa, et res fere dulces ut caricas, mella, etc. ut dulces dies a rebus dulcibus auspicarentur. Qui mos etiam nostris temporibus vigere videtur, dum etiamnum aliqui muneribus, et fere pane dulci se invicem remunerantur. Nec immerito sane, hodierna enim die a cœlesti Patre Filius datus est nobis suavissimo nomine Jesu insignitus. Unde Bernardus super Cant. ser. XIII. ait: *Jesus mel in ore, melos in aure, júbilus in corde*. Decet igitur uti et nobis invicem omnes mutua charitatis officia serio impendamus, adeoque alter alteri modo aliquo Jesus Salvator simus. Magnis conatibus et sæpe mirisartibus contendimus alter alterutrum vel strenarum missionibus vel fausti anni appreciationibus prævenire, quia qui prior alteri donat, honorem præripit, et qui prior alteri precatur bonum annum, certum donum expectat. Cur ergo non similiter universis charitatis officiis alter alterum prævenimus? An nescimus Dominum dixisse teste apostolo, Actor. XX. *Beatius est magis dare quam accipere*? Deinde, qui proximo charitatem impendit, nonne cœleste munus consequitur, et Christo fecisse censetur, quod minimo suorum fecit? Incipiamus itaque

hodierno die in re seria facere quæ antiquo more in inutili facimus: *Charitate fraternitatis*, ut inquit apostolus ad Rom. XII. *invicem diligentes; honore invicem prævenientes*. Cæsar Octavianus, ut refert M. Aurelius imp. ep. ad Laviniam, aiebat se vidisse ad Danubium populos, qui solebant se bini et bini ante altare confœderare hac lege, ut neuter proprium suum sed alterius tantum infortunium dolere deberet, et avertere, si posset. Utinam nos quoque hanc legem hodie observaremus. Neque vero iis tantum hæc xenia danda, qui nos diligunt, sed etiam inimicis. Etenim et nobis, cum inimici Dei essemus, Salvator ab ipso datus est. Majori ratione nos inimicis non solum injurias remittere, sed etiam benefacere decet. Leo ille, qui Samsoni occurrebat sævus et rugiens, postea cum Samson iterum illuc transiret, mel in ore habuit, Jud. XIV. similiter ergo et tu, si prius contra inimicum tuum sæviebas et rugiebas, ex hodierno die, quo omnis inimicitia interire et emori debet, mel suavius verborum, fraternæ charitatis præbere eidem debes. Quid dulcius melle, et quid suavius ejusmodi charitate! Nonne omnes nos dulcem, tranquillum et placibilem nobis optamus annum? Atqui nihil dulcius aut tranquillius, quam ejusmodi dilectio, sicut contra odio et rancore nihil amarulentius: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! Sicut unguentum in capite quod descendit in oram vestimenti ejus. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem et vitam usque in sæculum*, Ps. CXXXII.

V. Hoc die Janum sacrificiis placabant: quem bifrontem faciebant, vel quia præterita et futura, vel quia ortum et occasum, vel quia diversa sæcula inspiciebat. Unde hic mensis ab ipso dictus, principium est anni futuri, et finis præteriti. Quisquis fuerit Janus ille, nobis alius Janus hoc die colendus est: Christus qui duas facies, id est, naturas, divinam et humanam habens, duos menses, id est, duo sæcula regit et considerat, præsens et futurum. Iste in quo vivimus, est veluti december, in quo considerat nos facie amabili et placida, quia facile indulget, facile condonat uti infans, imo patitur sibi alludi a reprobis veluti dormiens aut ebrius. Sed in altero sæculo quasi in mense januario ostendit faciem alteram. Quis autem sit hic januarus quis nescit? Ita enim in Scriptura s. dies judicii vocatur *dies illa*, Soph. I. *Dies iræ dies illa*, Jer. XXX. *Væ quia magna dies illa*, Matth. XXIV. *De die illa et hora nemo scit*, Luc. XXI. *Dies illa repentina, etc.* Similiter in vernacula nostra dies judicii vocatur, januarus dies. Illa ergo, illa dies præ oculis semper habenda. Suavissima est Christi facies

in hoc sæculo, sicut suavissimum ejus nomen. Sed quemadmodum vinum quo dulcius et acceptius est in principio, eo acerbius et asperius cum in acetum degeneravit: ita et Christus suavissimus erat Jesus lictoribus illis ad se capiendum missis: siquidem ob suavitatem sermonis ejus, non poterant eum comprehendere, Joan. VII. sed idem acerbissimus et terribilis illis, qui eum comprehensuri cum audissent: *Ego sum*, ceciderunt in terram retro, Joan. XVIII. Ne igitur sibi blandiatur, quasi semper habiturus sit Jesum dulcem. Expertus est asperam Christi faciem, etiam in hoc sæculo, princeps quidam in Peruana provincia, qui allata sibi ab Indo quondam Christiano crucifixi lignea imagine, in eadem expulit dicens: *Hicne est Deus Christianorum?* Mox autem cepit imago caput, quod in dexteram partem inclinatum habebat, in sinistram convertere et oculos in principem cæterosque adstantes, tam terribiles defigere, ut omnes continuo præter Indum, qui tenebant imaginem, conciderint, et tres horas sine sensu et spiritu, mortuorum instar jacuerint. Quibus velut mortuis proclamatis, interim princeps ac cæteri ad se redeantes exclamaverunt: *Vere magnus est Deus Christianorum*. Qui deinde statim lege vetuit blasphemari in posterum Christum, et in loco miraculi sacellum imagini illi erexit, necnon itineri se accinxit et ad patres societatis Jesu in proxima provincia existentes abiit ut baptizaretur et in fide instrueretur. Refert Raderus, in viridario ss. p. 1. in fine. Quod si tam terrificus fuit aspectus imaginis Christi lignæ, quis erit aspectus ipsiusmet in die illa? Igitur hoc mense dum placabilis est, placemus hunc Janum. Gentiles thure et mero, item cibo sacrificabant Jano, ut sup. in antiq. Rom. nos vero precibus et lacrymis penitentiae, communione sacra eundem placemus.

CONCIO II.

QUID IN NOVI ANNI AUSPICIO COGITANDUM
CHRISTIANO.

Imprimis considerando præterita: I. Cogita quantum viæ et vitæ spatium emensus sis. — II. Quid videris vel habueris. — III. Ubi socii et cœvi. — IV. Qui sint qui nos sequuntur. Deinde, considerando futura, cogita: 1. Quantum viæ restet. 2. Quorsum tendamus. 3. An hostes iterobsidentes. 4. Quomodo appulsuri.

THEMA.

Consummati sunt dies octo. Luc. II.

Audistis, ni fallor, auditores, in hodiernæ noctis medio vigiles clamantes vobisque nuntiantes

finisse annum veterem et inchoasse novum. Quam vocem utinam omnes non corporis tantum auribus, sed et mentis percepissent: insinuavit enim nobis duo quædam tempora serio observanda, præteritum et futurum. Hoc est quod clamavit et respondit apud Isaiam, c. XXI. vigil interrogantibus horam noctis: *Custos quid de nocte? Custos quid de nocte?* respondit enim custos: *Venit mane et nox: si quæritis quærite: convertimini: venite*. Quibus verbis ni fallor, duo vult observanda tempora, matutinum et nocturnum seu vespertinum, hoc est, præteritum et futurum: quæ et gentilium sapientissimus Pythagoras symbolice expressit, cum dixit: *Duorum temporum quam maxime habe curam: matutini et vespertini*, hoc est, eorum quæ gessisti et quæ gesturus es, teste S. Hieronym. l. III. contra Ruffin. c. X. Accedit sapiens noster Eccles. c. XLI. hoc idem documentum tradens: *Memento quæ ante te fuerunt, et quæ superventura sunt tibi hoc judicium a Domino omni carni*. Hoc denique nos monet mensis januarus, a quo hodie annus initium sumit. Nuncupatus enim est a gentilium deo Jano; qui bifrons dicebatur et pingebatur, quod fuerit prudentissimus, videritque procul ventura et resperxit præterita. Nec defuere quidicerent eundem fuisse cum Noe, qui sæculum præteritum vidit ante diluvium, et futurum post diluvium. Quare, auditores, si quod hodie a me xenium expectatis, non invenio melius, quam caput jam bifrons, cujus una fronte in hujus anni exordio consideremus vitam nostram exactam, altera deinceps exigendum.

Qui in mari navigant, subinde ad mali apicem ascendunt et inde contemplantur maria, terras, regiones, naves aliaque; modo ea, quæ retro et jam emensa sunt, modo anteriora adhuc ementienda. Idem hodie et nos contemplando faciemus et imprimis videamus ea quæ a tergo sunt præterita.

I. Quantum viæ et vitæ nostræ spatium, quam brevi tempore emensi simus: ubi jam cernimus patriam nostram, vitæ scilicet primordia? Ubi infantior, ubi pueritia, ubi adolescentia, ubi utilis ætas? Omnia hæc transivimus aut mox transituri sumus, et quidem adeo velociter, ut vix credere tamdiu nos vixisse. Quod enim navigantibus in mari contingit, ut existiment sestare, dum celerime feruntur, et sæpe attingant extera regionem, antequam se putent excessisse patria, ita evenit nobis. Vidisti non ita pridem, quasi hesternæ die filiam amici tui ab uberibus pendentem, die quasi sequente vidisti stantem, alia adolescentem, nunc jam uxoratam. Incedis per viam aut forum, et forte offendis amicum, quem a

pauca annis non videras, vides eum canescentem: miraris et quæris: Unde tibi hi cani? Et tot tam brevi tempore? Imo si teipsum in speculo contemplaris, nonne videns canos tibi crescere cœpisse, miraris teipsum et ais: Unde mihi canities tam repente, tam inadvertenter irrepit. Ecce tibi furem illum, de quo toties monet Scriptura, qui clanculum irrepit et suffodit domum nostram. Hoc est quod in se agnovit Job, c. IX. cum ait: *Dies mei velociores fuerunt cursore*, (cursor enim subinde quiescit et moratur, dies vitæ nunquam) *pertransierunt quasi naves poma portantes*, q. e. velocissime sicut naves levi cum onere et maximo impulsu celerrime appellunt. Miramur itaque quod tam cito perdiderimus annos vitæ nostræ: interim tamen non attendimus nobis nec cogitamus dies reliquos æque cito transiuros. Deprehendimus nos curo ocius fugisse, nec tamen adhuc credere volumus nos eadem celeritate fugituros. Unde S. Hieronymus, ep. III. ad Heliodorum de epitaph. Nepot. miratur hanc stoliditatem hominum, dum ait: *Quotidie morimur, quotidie immutamur, et æternos nos esse credimus*. Ita enim vivit homo et tam securam sibi non solum diem crastinam, sed et annum sequentem promittit, ac si se immortalem crederet. Refert Pierius, l. XLVIII. fuisse aliquando sæcula tam rudia et litterarum ignara, ut annos aliter numerare non possent, nisi impactis clavibus ad sacrum ædium parietes. Ridemus, credo, nos istorum ruditatem, et non ridemus nostram, forsitan majorem. Norunt illi annos computare saltem ex clavibus; nos vero et hoc nescimus. Vidit Deus ruditatem et obliviscentiam nostram; idcirco ad singulas ætates nostras, singulos quodammodo affixit clavos; adolescentiæ succrescentem barbæ lanuginem, ut sciremus pueritiam præterisse: virili ætati succrescentes sensim canos, ut sciremus transiisse juventutem: senectuti plenam canitiem, ut sciremus transiisse ætatem virilem: decrepita scipionem, ut sciremus transiisse senectutem: et quamquam istos clavos nobis infixos cernimus, nihilo tamen cautiores vivimus et portum jam in conspectu positum prospicere nolumus.

II. Deinde, videmus quot terras, quot amœnas silvas, quot præaltos montes, quot elegantes urbes prætervecti a tergo reliquerimus, et quid inde nunc habeamus. Vidimus in vita nostra multa jucunda, artificiosa, pretiosa, palatia, hortos, regiones, urbes, homines mira elegantia, pulcherrimo vestitu, peregrinis moribus et linguis, bestias raras, comedias, ludos, spectacula, imagines, personas, principes, exercitus, equitatus, naves, maria, etc. legimus forte libros omnium

scientiarum, audivimus varias linguas, gesta orbis, omnis generis, instrumenta musica et symphonias, etc. gustu percepimus omnis generis cupedias, epulas, convivia, vina pretiosa, et varianaribus diversissimos gratissimos odores florum, herbarum, liquorum, unguentorum, etc. Possedimus servos et ancillas, hortos et agros, oves et boves, opes et honores, etc. Et quid ex his omnibus nunc habemus? Non plus, quam habeat navis aut navigantes ex iis quæ in transitu viderunt et audierunt; quasi enim per somnium hæc omnia percepissemus, ita sine fructu omnia evanuerunt? Nisi quod multa inutilia et noxia desideria nobis ingenerarunt, quæ affligunt spiritum et quandoque mergunt: quod si nondum hoc agnoscimus, saltem in morte. Hoc est, quod apost. I. Cor. VII. monuit, cum ait: *Qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur; præterit enim figura hujus mundi*. Omnia enim quæ in mundo vidimus vel habuimus, quid quæso nisi figura fuerunt, et pictura quædam solam boni speciem ostendens, et mox iterum eripiens? S. Greg. I. VI. ep. XX. ad Andream? « Vita, inquit, nostra naviganti est similis, is namque qui navigat stat, sedet, jacet, vadit, quia impulsu novis ducitur. Ita ergo et nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes per momenta temporum ad finem quotidie tendimus. Cur igitur finis nostri dies advenerit; ubi nobis erit omne, quod modo cum tanta cura quæritur et cum sollicitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ quærendæ sunt, quæ, etc. » Ponamus etiam omnes eas regiones et civitates, quas navigio pertransis, tuas esse, quid inde haberes in portu, quam modicum recreatus esses solo earum aspectu? Sane Salomon postquam se convertit ad omnia illa opera quæ fecerant manus ejus, et ad regias delicias, quas sibi præparaverat, non modo vanitatem in iis omnibus invenit, sed et afflictionem, ait enim Eccle. II. *Cumque me convertissem ad universa opera quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi*. Tunc enim quasi de profundo somno experrectus (ut in eum locum scribit S. Grego. thauaturgus) vidit ex omnibus illis, nihil sibi relictum, nec vel unicum granum solidi boni ex spicis tam ad speciem pinguibus et prægnantibus, excutere potuisse; sed meras paleas vanitatis et afflictionis. Idipsum pulchra similitudine explicatur Ps. LXXXIX. cum dicitur: *Anni nostri sicut aranea meditabatur*. Quid est quod meditatur aranea? Ut summa industria e visceribus fila fundat et aliis aliisque intexat, quibus veluti reti expanso muscas capiat. Jam: « Quomodo aranea, inquit ibi S. Hieronym.

quasi mittens fila, huc illucque discurret et texta tota die, et labor quidem grandis est, sed effectus nullus, ita et vita hominis, etc. » Quam levi enim vento dejicitur, et rumpitur tela aranæ, tanto licet labore parata, tam facile vertuntur hominum studia. Et rursus quam parum suo labore efficit aranea, dum non nisi muscas capit; tam parum lucratus homo dum opibus, honoribus et voluptatibus tantum inhiat. Væ illis qui annos suos tam inutili meditatione absumpserunt!

III. Videamus ubi sint sociæ naves, quæ nobiscum e portu solverunt, vel aliquamdiu nos comitatae sunt. Ubi sint parentes nostri, fratres, sorores, amici, vicini, sodales, coætanei, etc. et deprehendimus alios quidem adhuc sequi, vel comitari, alios vero quam plurimos in hoc mari perierisse, vel naufragio, vel latrocinio, vel a fluctibus haustos, vel a belluis devoratos vel fame vel siti aliisque innumeris modis extinctos esse. Talia sane gentilis etiam ille apud Cicer. I. IV. ep. cogitabat Sulpitius: « Ex Asia, inquit, rediens, cum ab Ægina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circumcirca perspicere. Post me erat Ægina, ante Megara, dextra Piræus, sinistra Corinthus; quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata et diruta ante oculos jacent. Cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant. »

Hunc in modum cogitet unusquisque, quot circum se cadavera hominum notorum, imo pene oppidorum jam prostrata, et in pulverem redacta videat. Videbis primo, ante te majores tuos, parentes, avos, proavos, patruos, amitas, materteras aliosque te seniores pene omnes excisos, te vero annosam arborem adhuc superstitem, sed brevi excidendam. Videbis deinde, post te liberos, nepotes aliosque ætate juniores, quorum etiam non exigua pars ante te cecidit, ideoque tibi similem ruinam quotidie minatur. Videbis et a dextris coævus magno numeros fratres, sorores, propinquos, amicos, condiscipulos, contubernales, commilitones, vicinos olim vegetos, sanos, agiles ex quibus forte major pars variis casibus et temporibus fati jam concessit, et Deo rationem vitæ reddidit, pauci adhuc supersunt. Videbis denique, a sinistris alios tibi notos famæ celeberrimæ, magnates, divites, doctores, feminas illustres et forma præstantes, quæ omnium in se oculos convertere solebant, magno numero prostratos in cimiteriis vel in ossium congerie jam propositos. Omnes hi ad annos tuos minime pervenerunt, ante te extincti sunt, omnia sua exuere et

mundo relinquere coacti sunt, divitias, scientias, robur, formam, genus; coram Dei tribunali comparuerunt, sententias suas exceperunt, in domum æternitatis ingressi sunt. Nunc hi te expectant, in proximo est ut tu voceris et eandem sortem subeas. Hoc est, quod in animo suo sæpe revolvebat David, qui dixit, Ps. LXVII. *Cogitavi dies antiquos, et annos æternos in mente habui*, q. d. in medio me constitui præteritorum et futurorum temporum, in præteritis cogitavi quid de antiquis, qui ante me vixerunt, et undique circum me velut in prælio cæsi et demessi sunt, factum sit: in futuris quid anni æternitatis mihi allaturi sint. Hoc ergo et nos, auditores, cogitare hodie possumus.

IV. Qui sunt qui nos sequuntur hostesne an amici? Sequuntur sane nos opera nostra, teste Joanne, Apoc. XIV. *Opera illorum sequuntur illos*. Hæc si fuerint bona, defendent nos; si mala mergent nos. Quid ergo si opera nostra piratæ sint nobis insidiantes? Sane hoc expressis verbis prædixit, Num. XXXII. Moyses: *Si peccaveritis scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos*; veluti lictor scilicet furem aut piratam navim insequens. Quare sicut fur quæsitus ad necem prædam abjicit, et navis contra piratas vel armat se vel fuga salutem quærit: sic consulat unusquisque rebus et salutem suæ, quemadmodum faciebat Ezechias rex, qui dicebat: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, Isa. XXXVIII. vult dicere: Revocabo in memoriam omnia peccata mea quæ singulis annis feci, ut lacrymis ea deleam. S. Bern. ser. de Virgin. urget verbum: « Recogitabo, recogitabo, id est, iterum, cogitabo, inquit, ne aliquid forte oblitus sim neque aliquid invindicatum et indiscussum remaneat. » Doctus quidam auctor censet ex Hebræo ita verti posse: *Commovendo caput super omnes annos meos* (quod in ss. litteris est mirari et obstupescere super re aliqua *in amaritudine animæ meæ*, q. d. stupebo super meipsum per singulos annos dicens: Itane possibile est ut toties et tam graviter Deum meum offenderim? Christi sanguinem proculcarim? Diabolo me encephalarim? Cælo me excluderim et inferno me addixerim? Et si hoc fecit Ezechias rex innocens et laudatissimus, quanto magis id faciendum erit nobis, deinde recogitemus annos nostros et nos moveamus caput super iis, quod tam multos male, tam paucos bene vixerimus annos; quod fere omne tempus nobis, corpori et nugis, nihil pene Deo, animæ et salutis negotio impenderimus.

Deinde, convertamus oculos ad anteriora adhuc ementienda vitæ spatia, et primo, consideremus quantum viæ nobis conficiendum restet, an portum

et vitæ terminum nondum prospectemus? Deut. XXXII. Præcepit Deus Moysi jamjam morituro, ut ascenderet in montem Abarim, id est, transiturum vel Chald. transeuntium, (quia inde transitus erat ad terram promissionis) et inde contemplaretur terram sanctam, posteaque moreretur. Hoc est, quod hæc die nos quoque facere decet, ut per contemplationem mortis ascendamus ad montem Abarim, indeque transitum nostrum ex hac vita in alteram speculemur, quantum nobis adhuc superesse putetur viæ, quomodo reliquum iter confecturi simus, quæ nos ibi domus, quis locus, qui cives, quæ æternitas expectet. Huc ascendit David et contemplanus finem vitæ suæ dixit, Ps. XXXVIII. *Notum fac mihi, Domine, finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi?* Respondetque: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, id est, tam breves ut facillime mensurari possint.* Hieronymus vertit *breves*, Augustinus *veteres*, Chrysostomus *palmares*, posuisti dies meos, q. d. brevissimi, et veluti vestes aut domus antiquatæ nequaquam diu duraturæ. Quasi vero necdum satis dixisset, subdit: *Et substantia (id est, subsistentia et vita) mea tamquam nihilum ante te.* Ex hac igitur mensura metire et tu, quicumque es, dies vitæ tuæ. Quid enim si palmares tantum sint, quatuor scilicet digitorum, hoc est, quatuor anni temporum seu unius anni tantum, et hoc anno moriaris? Quid si quatuor mensium tantum? Quid si quatuor hebdomadam? Dierum vel horarum tantum? Vide ergo ut scias quid desit tibi ad tam breve et dubium transitum.

Secundo, quorsum dirigamus navim nostram rectamne teneamus viam? Sane per Jeremiam, c. XXXI. monet Deus peccatorem a via salutis aberrantem: *Statue tibi speculam, pone tibi amari- tudines; dirige cor tuum in viam rectam, q. d. si vis dirigere ad salutem viam tuam, considera viam ex alta contemplationis specula, quam longe ab ea deviaris et quomodo ad eam redeas, itaque dolorem cordi ac pœnas corpori inflige; sola enim pœnitentia errantem reducit ad vitam.* Fecit et hoc David, qui Ps. CXVIII. dixit: *Cogitavi vias meas et converti pedes meos in testimonia.* « Vias, inquit S. Ambro. in eum psalmum, non superiores sed futuras, stas enim cogitans, quæ sit via, quæ in civitatem ducat, ad quam tibi putas esse pergendum, quanto igitur magis animo debes ac mente consistere, qui ad regnum cœlestis contendis; et cogitare tecum, quia non omnis via illo ducit, etc. » Quare non solum totam vitam suam dirigat unusquisque ad scopum, quem sibi in baptismo præfixit et postea sæpius proposuit, sed etiam in singulis actionibus, ut nimirum prius cogitet quonamvis suam ducat, quo pedem ferat, quem,

sequatur ducem, quorsum enim deveniet, qui navim suam non dirigit, sed committit ventis? Rursum sicut nautæ juxta stellam polarem, quia nunquam occidit, dirigunt naves suas; sic faciat unusquisque. Non attendat ad stellas occiduas, fines scilicet fluxos et terrenos, sed ad Dei gloriam: voluntatem, beneplacitum, Christi doctrinam et exemplum, etc. quæ nunquam fallunt aut occidunt. Ad hoc vero necessarium est acum nauticam, id est, conscientiam sæpiissime inspicere et examinare quorsum cor nostrum tendat, quam cœlo, et Dei voluntati concordet?

Tertio, num videamus de procul hostes iter nostrum obsidentes; scopulos item et viarum angustias in quas abripi possimus: ut hæc omnia declinemus. Poetæ memorant Ulysses juxta Sirenes navigio transiturum, ne blando carum cantu illiceretur et detraheretur in pericula, sociorum aures cera obturasse, se vero malo alligari fecisse. Multæ nobis Sirenes occurrunt in hoc anno, peccandi videlicet illecebræ. Nos vero si sapimus, aures hodie obturemus firmissimo proposito, non audiendi illas, sed et malo crucis, cui nomen et fidem dedimus, fortiter nos alligemus, dicamusque cum apostolo: *Christo confixus sum cruci*, Gal. II. quando in baptismo me ei devovi. O quam sapiunt, qui hoc faciunt! Optimum et saluberrimum consilium est S. Petri, 1. IV. hic observandum, cum ait: *Estote prudentes et vigilate in orationibus*; meminerat enim se in scopulum impigisse negationis, ex eo quod non audisset Dominum monentem: *Vigilate et orate ut non intretis in tentationem.* Monet igitur nos suo edoctus malo, ut simus prudentes, quasi porro videntes et providentes, et per orationis assiduitatem vigiles.

Quarto, quomodo tandem appulsuri simus in portu mortis nostræ. Navarchus et navim dirigit non in prora, sed in puppi sedet; nos ut reliquum vitæ nostræ cursum bene dirigamus, vitæ nostræ terminum semper in mente habeamus. Hujusmodi navarchus fuit patriarcha Isaac, qui admodum mature comparavit se ad mortem, quasi in dies expectatam, cum enim esset annorum 137, vocato ad se filio dixit: *Vides, quod senuerim et ignorem diem mortis meæ*, Gen. XXVII. et tamen post hoc vixit adhuc annos quadraginta tres. Docuit ergo vitam nostram esse debere mortis meditationem, ut volebat Plato. Similis navarchus in lege nova fuit S. Antonius et ipse patriarcha plurimorum monachorum, qui aliquando congregatis ad se fratribus suis, hoc monitum salutis dedit, ut unusquisque illocum, quavis die se moriturum reputaret, adeoque omnem diem sibi diluxisse supremum crederet, itaque cubitum

nocte concedens cogitare se mane non surrecturum, mane autem surgens se ad vesperam non victurum; dicebat etiam apostolum ita se sensit, quando scripsit, I. Cor. XV. *Quotidie morior, fratres.* Refert S. Athanasius, in ejus vita. Quam Antonii doctrinam merito extollunt S. Hieronymus et Ambrosius super omnium philosophorum sapientiam. Et o sapientes nos, si hos navarchos imitemur, et ex hodierna die in naviculæ nostræ puppi sedeamus et inde navim dirigamus! O beatos nos si persuasum haberemus nos hoc anno morituros, nec ullum ejus diem nobis esse certum! O quam salutari timore omnes corripemur! Quam salutaribus cogitationibus mentem occuparemus! Quam ea, quæ mundi sunt, parvi faceremus! Quam caute in posterum semper viveremus, si præsertim ad ingruentem noctem et venientem æternitatem oculos conjiceremus! Vulgari proverbio dicimus: *Initium attende ad finem: hodie inchoamus novum annum, hodie igitur cogitemus, quomodo finiamus et ad portum æternæ felicitatis feliciter appellamus.*

CONCIO III.

VETERIS HOMINIS RENOVATIO QUOMODO FACIENDA.

I. Ad instar aquilæ. — II. Ad instar serpentis. — III. Ad instar accipitris.

THEMA.

Abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc sæculo. Ad Tit. II.

Apostolus Paulus pluribus in locis urget et inculcat nobis renovationem veteris hominis, veluti ad Rom. XII. *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri: rursum ad Eph. IV. Renovamini spiritu mentis vestræ et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est, etc.* denique ad Coloss. III. *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, etc.* Quod apostoli præceptum si unquam alias, hoc imprimis die, quo novum inchoamus annum, et quo Christus Dominus et magister noster veterem exuta pelle per circumcisionem novam inquit, (*Quid enim est circumcisio nisi carnis expoliatio*, ait S. Augustinus, tract. XXX. in Joan.) observandum homini christiano videtur. Porro secundum D. Thom. in epist. ad Rom. VI. per veterem hominem intel-

ligi potest primo, reatus seu macula ex actuali peccato in homine relicta.

Secundo, consuetudo peccandi, quæ quamdam necessitatem ingerit ad peccandum: tertio, concupiscentia seu fomes peccati proveniens ex peccato primi parentis; vel potius, vetus homo, est homo vitiatus macula peccati, concupiscentia et peccandi consuetudine. Omnia hæc exuenda sunt, uti etiam monet S. Paulus, in ep. hodierna: *Abnegantes impietatem, etc.* Atque hoc est xenium meum, quod vobis hodie offero; novus inquam homo, xenium dico optandum. Quam enim multum darem alicui bonæ matronæ, si pro marito ebrioso, iracundo, prodigo, remitterem ei domum, maritum sobrium, mansuetum, parcum? Quam multum darem viro, si pro uxore contentiosa, levi, superba, remitterem ei patientem, modestam, humilem? Si parentibus bonos filios, et filiis bonos parentes? Si servis bonos dominos, et heris bonos servos? Hoc est, quod ego vobis, quantum in me est, dabo. Sed quid docebit nos istam triplicem renovationem? Tria bruta animalia, aquila primam, serpens secundam, accipiter tertiam.

I. Primam aquila, in qua renovationem aliquam agnoscit S. Scriptura, Isa. XL. cum ait: *Qui sperant in Domino mutabunt, (Hebr. innovabunt) fortitudinem, assumunt (Septuag. producent) pennas, sicut aquilæ, novas scilicet.* Iterum Ps. CII. *Renovabitur ut aquilæ juvenus tua.* Sed quo modo renovatur? Primo, physici dicunt senem aquilam, sic ubi deprehendat fontem clarum et latum, recta super illum in sublime efferri usque ad tertiam aeris regionem, ubi cum radiis solis et aere calido incaleverit, ita ut fere exuri videatur, subito demissis retractisque alis in fontem frigidum illabi, tum ad nidum suum advolare et inter alas pullorum resolvi in sudorem, et sic eum veteribus pennis senectam exuere, Aldrovan. lib. I. ornith. p. XXVI. ex Epicrate, Athenæo et Alb. M. Hic est primus renovationis modus scilicet per pœnitentiam, qua per fervens propositum serviendi Deo, et emendandi vitam, in altum nos liberemus, ejusque voti renovatione seria incalescamus, et gravitatem peccatorum nostrorum expendamus, dicentes: *Quid egi? Quem offendi? Quid commerui? Ubi nunc sum? Quorsum eo? etc.* Hisce consideratis incalescemus, ut arbitror, in amore Dei, et tum contractis alis demittamus nos in fontem compunctionis et lacrymarum, deploremus peccata nostra, quibus fidem Deo toties et tam serio datam, toties et tam turpiter fefellimus. Unde S. Gregorius, l. XXI. moral. ait: « Polluta dudum conscientia, lacrymis baptizata renovatur: » et mox: « Vis com-

punctionis poros cordis aperit, et pennas virtutum fundit: cumque se studiose mens de pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvenescit.» Hæc Gregorius. Hoc ergo quasi baptismo reparatur homo et recuperat, quod perdidit; hac ratione mutuatur fortitudinem, cum aquila, ut dixit Isaias, et producit pennas ad volandum versus cælum: *Mutant fortitudinem*, ait idem Gregorius. l. XIX. moral. c. XVI. *quia fortes esse student in spiritali opere, qui dudum fortes fuerant in carne*, v. g. si prius fortis fuisti ad bibendum vinum et sectandam ebrietatem, postea fortis esto ad sectandam sobrietatem, et reluctandum potatoribus instigantibus ad intemperantiam: si olim fortis ad nocendum, ad ulciscendum, rapiendum, nunc esto fortis ad patiendum, condonandum, tribuendum, etc. Quod ut constantius fiat, revola in nidum conscientiae tuæ, et inter pullos, id est, peccata tua perpetrata suda per continuum dolorem, dicens, cum Davide, Ps. L. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper*. Heu quam miser et infelix homo fui! etc.

Secundo, secundum S. Augustinum in Psal. CII. et alios, tunc renovatur aquila, quando incurvato præ senectute rostro, ita ut cibum et potum capere amplius nequeat, allidit rostrum ad petram et frangit; tunc enim excusso oris impedimento, rursus cibum et potum capit ita ut renovatur, revalescit et recuperat membrorum vigorem ac pennarum nitorem pristinum, etc. « Sic peccator, inquit Venantius de circumcissione supra dicta psalmi verba, qui peccatis est prægravatus, ut nihil spirituale ei sapiat, morietur fame, nisi ad petram Christum, per penitentiam se fortiter ac diu percutiat, usque ad propositi et duritiei abjectionem.» Similiter Aug. in eundem Ps. CII. locum: « Renovabitur inquit, juvenus sicut aquila; tantummodo nos vetustatem ad petram Christum conteramus. Inveteravimus enim inter inimicos nostros. Unde inveteravimus? Carne mortali, carne ista fœnea, et ideo percussum est sicut fœnum et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Crevit vetustas, os clausit; atteratur in petra.» Sic ille. Panis noster proprius est s. eucharistia. Sed hic panis nequit comedi salubriter cum rostro incurvato et peccatis depravato, nisi per penitentiam et propositi mutationem, peccatorumque in confessione depositionem, rostrum id frangatur. Frangitur ad petram, cum in confessione seipsum homo accusatore proprio, cum emendationem seriam promittit, cum pectus suam tundit. Sic exiit vetus Adam, qui noverat se post culpam abscondere tantum, et peccatum excusare; et sic primo re-

novetur homo, et quidem per penitentiam annuam. Quoniam enim intra annum facile invetescit homo inter inimicos suos, mundum, carnem, dæmonem, ideo Ecclesia præscripsit, ut unusquisque fidelium ad minimum semel in anno saltem spiritualiter renovetur. Horologia præsertim portatilia nisi singulis annis in seipsa dividantur et expurgentur, diu durare nequeunt: ita et nos mortales nisi quotannis inspiciamur, purgemur et ungatur salutaribus sacramentis, perseverare diu in bono haud possumus. Sed quam sapit, qui cor suum sæpius expurgat? Sæpius inungit? Saltem nunc cum anno veteri veterem quique pellem exuere deberet.

II. Secundam renovationem longe difficiliorem (juxta id: *Si potest Æthops mutare pellem*, etc. Jerem. XIII.) docet serpens: nam ut ait Aristoteles, VIII. hist. anim. c. XVII. « Exiit serpens senectutem tum vere, tum autumnum. Cum exuere incipit, ab oculis primum detrahi aiunt. Tum caput exiit, atque una fere nocte et die senectus tota exiit, a capite orsa ad caudam, et cute altera intus subnascente, ipsa renovatur, etc.» Ita vero fit primo præcedente jejunio quadraginta dierum, quo laxetur pelvis, ut scribit S. Hieronymus, epist. ad Præsidium, deinde feniculi succo, ut scribit Plinius, l. VIII. c. XXVII. Denique, ingressu in angustum foramen, per quod licet cum dolore, perreperit, tuncque pelvis ei detrahitur novaque, quæ succrevit, induitur, et forma speciosior acquiritur. Ad hanc serpentis prudentiam imitandam, si Ambrosius et aliis credimus, remisit nos Dominus Matth. XVI. cum dixit: *Estote prudentes sicut serpentes*. « Imitate serpentem, ait Ambrosius, in Ps. XXXVII. qui exteriorem suam exiit, ut renovetur interior.» Et vero necessaria est peccatori etiam ista renovatio. Nam per peccata sæpius repetita contrahit pravos habitus, qui fere in naturam transeunt, et instar pellis tenacissime ei adhærent. Et licet penitentia deleat peccatorum maculas, non tamen tollit habitus pravos; qui proinde tollentur primo, per jejunium, id est, per cessationem et dissuetudinem habitus: (*Jejunium enim magnum et generale est*, ait S. Augustinus super Joan. *abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejunium*.) Ita enim qui linguis, quas aliquando noverunt, diu non utuntur, earum scientiam, dissuetudine amittunt. Incidit Bernardus (ut habet vita) in quemdam nobilem fornicationi tam assuetum, ut ea ne ad unum quidem abstineret diem diceretque et sine ea se vivere non posse. Itaque affatur eum Bernardus, etc. « Quæso, inquit, in gratiam Dei abstinere ad triduum. Annuit ille et fecit. Triduo expleto, nunc inquit sanctus in ho-

norem Deiparæ tantumdem præsta. Spondit homo et istud. Eo peracto Bernardus semel adhuc, ait, has inducias posco in honorem omnium sanctorum. Ille rursus pactus est, donec ultro se insinuans Bernardo diceret: *Nolim amplius diurnas sed perennes cum Deo inire inducias*.» Ita ergo consuetudo sensim et suaviter eradicatur. Sed quemadmodum ramus arboris depressus, quamdiu eum deprimis, inclinatur, at si manum amoveas, ad locum superiorem illico resilit et eo, quo prodiit statu, remanet, ita si quis ad certum vitium pronior sit et cesset impugnare illud, facile in idem recidet. Idcirco securis ad radicem ponenda, clavus clavo pellendus, et contrariis etiam actibus impugnanda sunt vitia: feniculi succus adhibendus, hoc est, antidota adhibenda, uti exercitium liberalitatis contra avaritiam, jejunii contra ebrietatem: item constans et sæpe repetita animi resolutio, quod velis vitare hoc vitium. Hoc juvat reflexio assidua, etc. Verissime Seneca, lib. II. de ira, cap. XII. « Nihil est, inquit, tam difficile et arduum, quod non humana mens vincat et in familiaritatem adducat assidua meditatio, nullique sunt tam feri et sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur. Quodcumque sibi imperavit animus, obtinuit. Quidam ne unquam riderent, consecuti sunt. Vino quidam, alii Venere, quidam omni humore interdixere corporibus? Didicerunt alii in funibus ambulare, immania onera portare, mergi in profundo, nec respirare.» Quod si præterea adhibeas penitentiam vim qua præteritos actus detestaris et punis aliqua mulcta, vel plaga quoties iterum recidis, quasi per angustum foramen ingredieris et ita potentissima manu vitiosos habitus convelles. Hæc est *arcta illa via, quæ ducit ad vitam*, Matth. VII. Hæc Christi stigmata, per quæ transeundum esse scribit Augustinus, serm. IV. ad fratres in eremo, si a vitiis liberari et ad vitam ingredi velimus. Conatus adhibendus est, vis inferenda corpori et animæ, ut pelvis exuatur. Si enim serpens cum dolore se impenetrat per foramen arctum solo naturæ instinctu, ut rejuvenescat: quid non faciendum nobis, ut gratia vestiamur et gloria? Cæterum sicuti serpens incipit ab oculis et capite pellem veterem exuere, ita expedit pugnam contra vitia a capitali vitio inchoare, quo superato facile superabis alia, sic enim devicto et prostrato Joliatho, omnes Philisthæi devicti et in fugam acti sunt, qui nimirum viderunt, quod fortissimus eorum mortuus esset, I. Reg. XVII.

III. Omnium difficillimam (licet enim habitus pravi evellantur, concupiscentia tamen remanet semper) docebit accipiter. Nam et hunc renovari discimus ex I. Job, c. XXXIX. ubi ait: *Numquid*

*per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad austrum? Plumescit ergo accipiter jam adultus et alatus quod singulis annis fieri ait ibi glossa. Etenim quando senuit et pennis se gravatum sensit, flante austro expandit versus illum alas suas, eoque deficiente contra solis radios, interim ventilando alas tepentem sibi auram facit, atque ita apertis per teporem poris, veteres pennæ laxantur et cadunt, novæque succrescunt; qua ex re agilior et perniciosior fit ad volandum. Sic etiam domestico accipitri, qui in mutatorio conservatur, ad eandem innovationem procurandam datur aliquantum carnis venenatæ, ut ejus vi et efficacia, veteres pennas expellere et vires novas recuperare queat, Geminian. de rerum similitud. l. IV. c. LXXVIII. Possumus per hanc rapacem avem intelligere hominem concupiscentia vitiatum, siquidem accipiter totus ad prædam natus est, nec nisi sanguine sitim levat. Similiter: *Quid vetus, quid carnalis homo novit*, inquit S. Greg. hom. XXXII. in evang. *nisi sua retinere, aliena rapere cum potest, concupiscere si non possit?* Sed qua ratione homo constitutus poterit renovari? Non est hoc unius diei opus, nec omnino exui pelvis ista potest sine speciali privilegio. Unde audimus ipsum apostolum conquerentem de illius gravitate: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* ad Rom. VII. potest tamen ei superindui novus homo, Christus videlicet ejusque conversatio ut non eadem, sed nova esse videatur, quod idem apostolus consecutum se scribit ad Galat. II. *Christo confixus sum cruci*, inquit, *vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus*. Primo igitur, extendendæ versus austrum et solem alæ, id est, brachia in oratione extendenda ad implorandam Spiritus sancti gratiam, ut per dona spiritualia seu virtutes, necnon per assistentiam et protectionem singularem hostem illum nostrum comprimere velit, uti precatur Ecclesia quotidie in completorio: *Hostemque nostrum comprime, ne pollutantur corpora*; quod præsertim faciendum, cum rem aggredi volumus, in qua lapsus alicujus periculum est: muniendo nos prius per propositi renovationem, signum crucis, brevem orationem, veluti: *Deus in adjutorium meum intende*. Ad hæc constitute te versus solem, Christum, et ex ejus conversatione velut ex novo homine corrige.*

Secundo, adhibendus etiam labor et cooperatio nostra, et subinde quatiendæ sunt alæ harumque motione aura cœlestis gratiæ nobis paranda, siquidem juvantem se Deus adjuvat. Id vero fit primo, depellendo malas cogitationes, quæ si admittantur mox excitant concupiscentiam, sicut ventus exurgens mox incipit vertere rotam molenini, ex quo molaris lapis volvitur, et facile